

Venditio sortis hereditatis in Lageoniki, Ma:
thia episcopo Wladislaviensi.

In nomine Domini amen. Nos consules, Nicolaus pro:
consul, Nicolaus Glat, Nicolaus Posnamie, Jilo, Rosmul:
ner, Suvadus, Ruffus, Petrus Sturlus, Joannes Mathia,
Franciscus Springuth civitatis Wladislaviae Juvenis,
ad universorum notitiam deducimus per presentes,
quod cum in consistorio sederemus, et de negotiis dicte
civitatis tractaremus et ageremus, discretus vir Joan:
nes de Lageoniki in nostra presentia constitutus con:
fessus est et publice recognovit, quod ipse causa sua
necessitatis venerabili in Christo patri domino Mar:
thia divina et sancta sedis apostolica providentia epi:
scopo sancte Wladislaviensis ecclesie, partem her:
editatis eiusdem Lageoniki circa Parchanie si:
tam, qua olim fuerat obligata in decem marcis
denariorum moneta Thorunensis, et pratum eidem
parti iunctum in duobus marcis denariorum simi:
lium nomine pignoris obligavit, hoc addito quod
idem Philippus, vel quicumque successor suus le:
gitimus eandem partem hereditatis, data pecunie
quantitate prænominata pacifice liberabit quando:
cunque. In cuius rei testimonium presentes sibi
dedimus sigillatas sigillo dicte civitatis. Actum
et datum in Juveni Wladislavia feria tertia proxi:
ma ante Epiphaniam Domini, sub anno eiusdem
millesimo trecentesimo trigesimo nono

